

etsi nec has adhucdum fatis expeditas, in calcem reiiceret, semel vno loco proponendas et exemplorum parte illustrandas; vt nunc illae quingentis locis ad singulas voces, quarum quantitas aut ratio grammatica ad eandem regulam redit, sunt repetitae et inculcatae: fatendum est, intolerabile eas fastidium creare, molem editionis dimidio augere, et toties spe delusum indignatione excandescere lectorem, quoties, in difficiliore loco bonam notam circumspiciens, aut monitum de quantitate intempestiue insertum, aut comparatum Virgilii versum, qui nil ad rem faciat, aut Plutarchi Grammaticiue locum, quo eadem poetae verba nuda recitentur, offendat, de difficultate omnia obmutescere videat.

Verum alia expectatur *editio grammatica* eadem et critica, sensu vocis generosiore, vt ita dicam; in qua veterum grammaticorum opes seu appositae sint seu adhibitae saltem. Atque hic desideras mecum editionem aliquam omnibus scholiis, quae quidem extant, instructam. Iam haec vna res magnam vitae partem desiderat, si quidem etiam scriptos codices praecipuos scholiorum comparandos esse dixeris: tum si veteres Grammaticos omnino excutiendos, si Apollonium, si Etymologicum M. tum Photium et similes; si loca Homerica in scriptoribus passim recitata, vt lectionis varietas enotetur. Haec omnia pro fundamento esse debent editionis criticae. Illud autem non expedio,
fitne